



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Contentia verbalis quando vitiosa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

Contemptus. 95

est ex contemptu secundum quid peccare venialiter. Quum etiam simpliciter & absolute quis contemnit mandatum, non modificat illud ex minimo opere. Et e contra, quum quis ex hoc quod de minimo agitur, in contemptum tendit non ruit in contemptum, sed sustentatur affectus à minimo tanquam non contemnat: sicut in minimo furto sustentatur accipiens occulte minimum tanquam non furetur.

Contentio verbalis quando vitiosa.

Contentio ut est nomen peccati, significat pugnam loquutionis non secundum rationem, vel quantum ad modum, vel quantum ad rem de qua est contentio. Vnde quandoque est peccatum mortale, & quandoque veniale. Nam si contentio pugnat contra veritatem cognitam, erit iuxta veritatis naturam iudicanda hoc est, si veritas impugnata, est veritas fidei, aut necessaria ad salutem alicuius siue quantum ad animam, siue quantum ad corpus: siue quantum ad res seu famam: & breuiter, si veritas est talis, quod eius mendacium esset perniciosum, contentio pugnas contra talem veritatem est perniciofa, ac per hoc mortale peccatum. Si vero huiusmodi veritas non est talis ut oppositum mendacium sit perniciosum, contentio contra illam, peccatum veniale est. Et hæc intellige formaliter, scilicet in pugnantem contra veritatem ex intentione contra veritatem. Nam si ex alia intentione fit (puta propter exercitium aut disputationem) contentio non nisi materialiter est, quæ potest esse, & est sæpe laudabilis. Si vero contentio à ratione discedat, quia immoderata est (puta clamando, &c.) sic communiter videtur peccatum veniale: nisi forte scandalum haberet annexum trahens ad mortale. De quo dic ut infra de scandalo.

Contritio